



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,  
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

**Rhodes, Georges de**

**Lvgdvni, 1671**

III. De influxu cœlorum in sublunaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Sed præterea tamen, quia motus ille proprius solis sit in circulo excentrico, ut dixi, distingui solent quinque alij solis motus. Primus est motus simplex & verus: secundus est medius motus, siue anomalie: tertius motus augis: quartus argumenta: quintus æquationes, quia scilicet cum motus solis fiat in excentrico, ita ut in borealibus signis diutius moretur, quam in australibus, eo quod longius à terris recedat æstate quam hieme, necessariò est irregularis: cum ergo ut ad vniformitatem reuocarent Astronomi, motus quosdam excogitarunt, ex quibus irregularitas illa motus solis fieret quodammodo regularis. Excogitarunt itaque lineam vnā, quæ moueatur circa centrum mundi, & parallela sit lineæ ductæ à centro excentrici vsque ad centrum solis: hæc lineam orbem suum eodem tempore conficit, quo sol conficit suum orbem in excentrico. Motum ergo illius lineæ à centro mundi ad Zodiacum vocant medium motum solis; definitur enim, *Arcus Zodiaci incipiens à principio arietis vsque ad lineam medij motus*. Motus augis est arcus Zodiaci vsque ad lineam apogæi. Argumentum est *arcus Zodiaci à lineæ augis vsque ad lineam medij motus*. Verus motus solis est *arcus Zodiaci à principio arietis ad lineam ductam à centro mundi ad centrum solis*. Equatio est arcus Zodiaci à lineæ veri motus ad lineam motus solis. Illa nulla est quando sol est in apogæo, vel perigæo, quia tunc duæ illæ lineæ coincidunt; quæ omnia clariora essent exhibitâ figurâ quam habet Bassantinus pag. 95.

Motus solis diurnus.

Dico secundò, solem spatio vigintiquatuor horarum describere circulum vnū è diurnis, qui includuntur intra duos tropicos. Maximus nobis dies est sole existente in cancro, minimus in capricorno. Quò depressior est polus, eò minores; quò eleuator, eò maiores sunt cuiusque loci dies: in æstate maiores, minores autem in hieme. Illis qui habitant sub æquatore, oritur ferè perpetuò sol, & occidit hora sexta, tamen ante meridiem septem horas habent æstate: quibus polus triginta duobus gradibus eleuatus est, habent octo: quibus eleuatus est 49. habent nouem, quibus 59. habent decem, quibus 64. habent vndecim, quibus 66. habent duodecim, quibus 66. cum dimidio, habitantes scilicet sub polis, diem habent vnā anni medietate, noctem alterâ.

Motus annuus.

Dico tertio, proprium solis motum ab occasu in ortum sic confici. Zodiacum sub eclipctica perpetuò decurrit diebus 365. horis quinque, minutis 47. secundis 52. quod spatium temporis dicitur annus tropicus, seu æquinoctialis. Horæ superflue supra dies integros, singulis quadrienniis diem conficiunt, qui Februario adiciuntur. Sed verò à sex horis absumt quotannis ferè duodecim minuta, quæ neglecta singulis quinquenniis horam faciunt, & singulis centum annis diem integrum. Decurrit sol in Zodiaco quotidie motu proprio minuta 58. secunda 8. tertia 7. quarta 27. quinta 14. sexta 26. ac septima 54. haret in quolibet signo dies ferè 30. cum dimidio. Quibus verò diebus singula ingrediatur signa, non est huius loci dicere.

Quæritur tertio, quotuplex sit lunæ motus, vbi, & quomodo fiat.

Lunæ motus quotuplex.

Dico primò, sex in luna distingui solere motus, qui tamen omnes vnico motu contineri possunt. Fiunt illi omnes in eodem plano, quod ad planum eclipcticæ adeò est obliquum, ut quinque graduum intervallum intercipiat: vnde circulus motus ipsius in duobus punctis

A eclipcticam interfecat, quæ vocantur Intersectiones nodi, caput & cauda draconis. In illis dum versantur sol & luna, contingunt eclipfes; lunæ quidem, si opponantur; solis, si coniungantur. Hi nodi stabiles non sunt, sed contra signorum ordinem mouentur gradibus 19. minutis 5. secundis 22. tertiis 47.

Dico secundò, lunam ex antiqua supputatione totum decurrere Zodiacum diebus 27. cum horis 8. deinde quasi biduum conficere ut assequatur solem, quæ vocatur luna silens. A nouis autem Astronomis ita definitur lunaris periodus, ut ab vna coniunctione ad alteram velint requiri dies 29. minuta 31. secunda 50. tertia 8. quarta 9. quinta 20. Varias autem illas lunæ apparitiones, ipsi phases appellant. De reliquis planetis dictum est nuper quantum satis est.

Eius periodus.

### QVÆSTIO III.

#### De influxu cœlorum in sublunaria.

HODG

Dixi hætenus de natura, & motu cœlorum ætherum, nunc influxum eorum & actiuitatem perennem in sublunaria, nemo ignorat imperitus, nemo satis cognoscit doctus: occultissima nimirum est magnorum illorum corporum vis, & tamen illa nemini potest esse dubia. Vbi duo mihi proponi video. Primò an, & quid, & per quod principium agat cœlum in hæc sublunaria. Secundò conuincenda est dementiæ ars illa vanissima, quæ futura præuidet ex astris, & cœlum velut grande volumen proponit, vbi omnium rerum descripta sint fata; nec lucere duntaxat stellas, sed etiam loqui, & futura omnia vel facere, vel docere.

### SECTIO I.

#### Influxus cœlorum in sublunaria; an sit, quale principium, quos effectus habeat.

Tria hæc totam influxuum cœlestium doctrinam continent; nimirum existentiam, principium, quidditatem.

#### §. I.

#### Cœlestium influxuum existentia.

Dico primò, certum omnino esse quod cœlestia corpora in hunc inferiorem mundum continuò influunt, operanturque tum innumera, tum mirabilia: sic vna voce asserunt omnes Philosophi, omnes Theologi, omnes SS. Patres; sed auctoritate nihil opus est, vbi suffragatur sensuum omnium testimonium.

Conclusio affirmans.

Primò enim motu solis quadripartita temperatum efficitur distinctio, qua generationes & corruptiones animalium & plantarum instaurantur in sublunariis. Lunæ impulsu æstus maris vltro, citroque reciprocatur. Astra quædam ortu suo vel occasu sterilitatem aut fertilitatem terris inuehunt, & in mari tempestates, aut serenitatem.

In elementis.

Manifesta quoque operatio est siderum in animalibus, in plantis, in lignis, in lapidibus. Ostrea, conchilia, & conchæ omnes cum luna crescunt pariter & decrescunt. Dierum illius numero

In animalibus.

mero respondent foricū fibræ. Fornica interlunio semper quiescit, plenilunio in opus incumbit, nono die ab eius coitu non exit è latebris. Huc etiam pertinent dies critici; neque dubium est quin ad morbos curandos plurimum conferat siderum conjunctio.

In plantis.

Plantæ quædam sunt heliotropiæ, quædam selinotropiæ, quæ ad solis & lunæ motum versus ea mouentur; sol enim heliotropij & scorpiuri flores ab ortu ad occasum secum vertit. Lotus implicat in se folia ante solis exortum, oriente sole paulatim ea explicat donec ad mediam cœli plagam sol ascendit; rursus verò gradatim contrahit eum sol à medio petit occasum.

In animalibus.

De lapidibus mirabilia memorantur. Selenites lapis imaginem lunæ continet, eamque reddit in dies singulos crescentis & decrescens numero. Helitis lapis radiis aureis solares imitatur radios. Lapis qui vocatur cœli oculus, vel solis oculus, figuram habet pupillæ oculi similem, & ex ea media emicat radius. Lapis helioselemus imitatur quodammodo solis & lunæ congestum, figuratque colorem. Notum est trahi magnetem à stella polari, & sic acus nauticas regere. Alia possunt hic addi plurima.

Sola sidera influunt.

Dico secundò, neque cœlum empyreum, neque sidereum ipsum cœlum influere in sublunaria, sed esse probabilius, quod à solis sideribus, & quidem omnibus deriuatur efficacia.

Primò enim empyreum solis videtur destinatum esse comprehensoribus, neque cum viatoribus commercium ullum habet. Secundò cum cœlum totum, ubi sunt sidera, sit homogeneum & immobile, certè si habet aliquam in sublunaria efficaciam, eisdem ubique terrarum produceret effectus. Tertiò sola sidera continuo motu suo indicant perpetuam ab illis globis actiuitatem distribui. Neque debuit Picus *lib. 3. contra Astrologos, cap. 10.* ad solem & lunam has virtutes restringere; patet enim quod ad alios etiam planetas & stellas fixas pertinet vis illa mirabilis alterans terras, maria euerrens, animalia sanans aut enecans, quamuis non negauerint residere potissimum in sole ac luna illam energiam.

### §. II.

#### *Principium actuum cœlestis influxus.*

Lumen & motus.

Dico tertio, verum omnino esse quod plures effectus causantur à cœlo in inferiori mundo per solum lumen, posito motu tanquam conditione sine qua non, non tanquam causa. Conueniunt in hoc omnes Doctores.

Et ratio manifesta est, quia producit calor vi luminis, cum minor sentiri soleat calor in vmbrosis locis, quàm in apricis; ex calore autem, saltem per accidens, efficitur siccitas. Motus verò in sublunariis nihil efficit, cum ad ea non peruenit, sed conditio est sine qua non posset lumen ad totum terræ globum ex sideribus dimanare.

Dari occultas qualitates.

Dico quarto, præter lumen & motum, esse quoque necesse cœlis tribuere qualitates occultas, per quas influant in sublunaria, & plures in illis effectus producant, quos efficere nequaquam posset vis sola luminis. Ita docent vulgò Peripatetici, contra Auerrocin, Pausium, Philactæum, Plotinum, Picum, qui volunt effectus omnes cœlorum produci per lumen & motum. Occultas quoque omnes qualitates ridet noui Philosophi, contra quos.

A Ratio est, quia certum est produci vi siderum plurimos effectus, quos luminis tribuere nemo potest. Metallorum v. g. productio in visceribus terræ ab influxu siderum causatur, & eò tamen lumen non permeat: fluxus & refluxus maris causatur per sidera, nemo autem ausit illum soli luminis tribuere: ligna diu durant, si crescente cœdantur lunæ; putrescunt si senescente: animalia testacea cum luna crescunt & decrescunt: variantur morbi iuxta lunæ cursum: arbores plantatæ in nouilunio statim adolescunt, paucos verò fructus ferunt si decrescunt. Quæ aliaque si quis luminis tribuat, statim deridebitur. Si enim vis, qua magnes ferum trahit, & succinum paleas, occulta qualitas esse dicitur, cur non erit qualitas etiam occulta ea quæ magnes à stella polari trahitur. Contra novos autem Philosophos, quibus qualitates omnes inuisæ sunt, dicam in sequenti tractatu accuratius.

B Ex quibus solui potest leuis quæstio, vtrum cessante cœli motu esset necesse cessare actiones omnes inferiorum corporum.

Respondet enim immeritò fingere nonnullos, quod cessante motu cœli, statim animalia manerent immota, cessarentque omnes in inferioribus actiones & alterationes agentium sublunarium; hoc enim nulla ratione probari potest; nam multa sunt quæ non pendent ab influxu cœli, & per vim propriam causarum produci possunt sine auxilio siderum. Imò multa sunt à cœlo, quæ sublato eius motu fierent in aliquibus terræ regionibus, quas atra huiusmodi propius respicerent, in aliis autem non producerentur propter nimiam distantiam, & propter interpositum terræ corpus; sicut ad antipodas non peruenit solis lumen, quando nostrum illustrat hamisphærium. Verè igitur notat Lessius *lib. 1. de attributis*, quod si quiescerent corpora cœlestia, contabescerent paulatim inferiora omnia, præsertim videntia, & in sua elementa soluerentur: nam quibus sol assidue incumbere, ea exurerentur, vel omnino arefcerent; si valde obliquè (vt hieme) ea respiceret, in illis frigore assiduo calor vitalis exstingueretur; si medio quodam modo (vt verno tempore) patrescerent humores, non valente illos concoquere debili calore, quod maximè contingeret arboribus, & frugibus.

### §. III.

#### *Cœlestium influxuum varij effectus.*

Tria hic quæri possunt: an in omnes omnino effectus sublunares necesse sit influere cœlum. Deinde ad quos effectus influat: denique ad quos non influat vilo modo.

Dico quinto, cœlum non ita esse causam vniuersalem, vt ad omnes concurrat effectus sublunarium agentium; concurrere tamen ad quamplurimos, sed ad plures etiam non concurrere.

E Primam partem pletique negant Astrologi, qui putant dempto cœlo ignem non calefacturum, lapidem non casurum; sed immeritò illud dicitur, vt patebit ex tertia parte conclusionis. Ratio enim est, quia quando virtus agentis particularis est sufficiens ad actionem, frustra dicitur cœlum ad eam concurrere: lapis sufficientem habet vim ad cadendum; ignis ad calefaciendum: frustra ergo dicitur, cœlum ad eam concurrere, præsertim cum constet, actiones has sub quocunque aspectu cœli eodem modo fieri.

Secunda

Secunda  
pars.

Secunda pars longam inductionem exigeret eorum effectuum, qui a cœlo producuntur, tum ut causâ vniuersali, tum ut causâ particulari. Primum enim ut causâ vniuersali insit in generationes animalium, stirpium & fructuum, quas certis anni temporibus cernimus fieri, non autem omnibus. Deinde causat generationes meteororum, ab ipso enim sunt ferè imbres, venti, grandines, tempestates, fulmina; nam in nouilunio v. g. cernimus turbari maria, exoriri procellas. Secundò ut causâ particularis producat metalla & gemmas, quorum causa non apparet alia, cum gemma gemmam non generet, neque ab auro producat aurum. Temperiem immutat aëris & corporum, unde morbi saepe oriuntur epidemici, hominum infanæ; lunæ siquidem mutatione inualefcunt morbi, aut remittuntur, humores concitantur. Denique ne sim nimius, quotidianum apparet spectaculum de gallo, quem sol rediens ad cantum excitat, cuius rei ratio adhuc quæritur: applaudit videlicet hoc animal venienti soli, & fecerit commercium cum eo habet. Varias inquirunt huius rei causas Cardanus, Scaliger, Aldrouandus, Conimbricenses.

Effectus ad  
quos sidera  
non influunt.

Tertia pars positæ assertionis amplissima etiam est, continet enim effectus illos ad quos cœlum non influit.

Primum etenim certum est, quod in animam rationalem, & in potentias eius spirituales directè cœlum non agit, sed indirectè tantum & per accidens; sic enim definitum est contra Priscillianistas in Concilio Bracarensi: & manifesta ratio est, quia cum omnis actio cœli corporea sit, nihil anima incorporea potest directè ab eo pati.

Secundò conseruatio elementorum non est à cœlo, quia mutua illa compensatio, de qua dixi nuper, sufficit ad eorum conseruationem.

Tertiò falsum est præparari materiam à solis astris ad omnes formas, licet præparetur ad aliquas; sufficiens enim semini vis inest ad totam generationem. Falsum etiam est, formas omnes substantiales cœlesti quadam vi extrudi de sinu & fecunditate materiæ præparatæ à causis secundis.

Sympathia.

Quartò falsum est, quod proueniant à cœlo effectus quidam mirabiles orti à rerum sympathia & antipathia: v. g. herculeus lapis ferrum, adamas electrum, pilos & fureulos ad se trahunt: hircinus sanguis emollit adamantem: Nassi & Psylli tractant serpentes omnino illæsi: Thesali fascinant intuendo pueros, & illos tabefaciunt: catablefa hominem ad mille passus conspectum enecat: rhabarbarum flauam bilem; epithymum atram purgat: agaricum educit pituitam: adamas iuxta magnetem positus, dicitur à nonnullis impedire ne ferrum trahat, quod alij per negant; venena facit esse irrita, & lymphationes abigit: alia plura numerabam *tristatu* 1.

Dies critici.

Quintò dies morborum critici non solis debent tribui viribus lunæ; quia dies septimus morbi, qui est criticus, saepe incidit in octauum lunæ, qui criticus non est. Critici morborum dies vocantur, quod in iis natura cum morbo acriter pugnet, in quo congressu si debiliior illa fuerit victoria, inclinet ad morbum; sin fortior, æger vergat ad salutem: non quouis autem morbi die contingit hæc lucta, sed certis tantum quibusdam diebus; quia scilicet natura humoris diebus illis priodos certas habet, & vires exerit, sicut in febribus intermittentibus. Huc etiam pertinent

**A** anni climaterici, quia certum est singulis septenniis maximas fieri mutationes in humano corpore, ob quas anni qui ex septenniis constant, periculosi sunt; quod stultè ad septem planetas nonnulli referunt cum Ficino; melius autem Letinus refert ad abundantiam humorum.

Sextò certum est, nullam vim inesse posse annis & figuris astronomicis, nisi eam, quam dederint demones. Sunt autem illæ imagines quædam fictæ ad imaginum cœlestium similitudinē, eo quod dixerit Ptolemaeus, vultus inferiores cœlo, subiectos esse vultibus cœlestibus, ac proinde nugantur omnes asserentes, scorprios terrestres regi à cœlesti scorprio, omnes pisciculos fluuiatiles à sideris: volunt itaque gemmas insculptas eiusmodi imaginibus, & sub tali constellatione vim quandam habere peculiarem, ita ut qui gemmam possident, cui sit insculptus aries, leo, vel sagittarius, dicant eum fore gratiosum omnibus; cui virgo, Taurus, aut capricornus, religiosum; cui gemini, libra, aquarius amicum fidum, legum tenacem, &c.

**B** quos effectus nasci dicunt ex sympathia figurarum istarum inferiorum cum superioribus, à quibus deriuatur aliqua virtus propter eius coaptationem; sicut echo causatur ex opposito pariete; radij in speculo concauo stuppam inflammant; in cythara si chordam vnâ pulles, aliæ sonabunt: Vide de annullis his Deltrium *lib. 1. cap. 3. quæst. 1.* Vairum *lib. 2. de fascino, cap. 14.* Laurentium Ananiam *lib. 4. de natura Daemonum.*

**C** Dicendum enim est, illa omnia esse non tantum ficta, sed perniciofa & diabolica, quia huiusmodi figura nihil ex astris accipere potest virium; non est aliquid actiuum, neque vllam cum sideribus habere potest similitudinem, cum in cœlo nullæ huiusmodi sint figuræ; sed ex mera voluntate hominum huiusmodi nomina tributa sint sideribus.

## SECTIO II.

*Verum ex siderum aspectu futura prædicti possint ab Astrologis.*

**D** Communis sæculorum omnium fascinatio, & malum semper damnatum, & semper tameri retentum fuit ars illa diuinatoria, quæ pollicetur certam futurorum notitiam ex aspectu siderum; adeò ut audacter pronunciauerit Pomponacius, eos qui visu actiore pollent, in orbe solis & lunæ rerum omnium videre species. Quod ego breuissimè ut conuellam, tribus contentus ero. Primum, quænam sint Planetariorum fabulæ, ac somnia. Secundò, quid illi prædicere aliquo modo possint. Tertiò, quid nullo modo possint prædicere.

### §. I.

**E** *Artis indicaria conspectus, & fabulæ.*

**E**rrorum officinas, & mendaciorum fora ingrediamur, ut cum Cyrillo loquar *lib. 10. in Iulianum*, quibus si stultitiam præesse deneges, certè ipse non sapis. De illa verò arte diuinatrice tria scire interest. Primum quid, & quotuplex illa sit; secundò, quos Authores habeat; tertiò, quæ principia, & quem modum diuinandi.

Astrologia itaque diuinatricis per sidera duæ vniuersum sunt species. Prima, quam magis propriè dixeris astronomiam, nititur vniuersalibus

Figura  
astronomi-  
ca.

HODG

Dux spe-  
cies Astro-  
logia.  
veris;

veris, & incommutabilibus principiis; versaturque circa cognitionem reuolutionis annorum, cursus siderum, & distinctionis eorum: natura item solis & planetarum, eclipsum, stationum, retrogradationum, aspectuum, coniunctionum, oppositionum, & aliorum huiusmodi, quæ incommutabilia & certa sunt.

Veræ Astrologiæ partes.

Altera species est dicta propriè Astrologia, quæ niritur principiis variabilibus, & omnino vanis, versaturque circa cognitionem euentuum contingentium, quos prædicit velut dependentes ab astris inuitabili quadam necessitate.

Huius Astrologiæ quatuor partes numerantur. Prima versatur circa reuolutiones, prædicitque futuras toto anno belli & pacis vicissitudines, aeris salubritatem, annonæ pretium, morbos animantium. Secunda continet magisterium natiuitatum, docens quid sigillatim homini tota vita euenturum sit, quos vulgò appellant *horoscopus*. Tertia vocatur electionum, quæ docet quid in singulis rebus consultò & utiliter faciendum aut omittendum sit, quando ædificandum, nauigandum, equitandum, &c. volunt enim feliciter illa euenire, quæ faustis suscipiuntur astris, non alia. Quarta est imaginum sculpendarum, planè præstigiola & demoniaca, de qua nihil dicere attinet. Tres priores *planetarias* appellant; professores earum *Planetarios*.

Auþhores.

Artis verò huius (si qua est) Protodidascalus celebratur Ptolemæus Alexandrinus; proximus illi Albumazar Arabs; inde Iulius Firmicus Genethliacam disciplinam octo libris complexus est. Sequuti sunt Cardanus, Astrologiæ artis amplifactor eximius, Albertus Pighius Campensis, Iulius Gauricus, Leonicius, Bellancinus, Stadius, Iunctinus. Vtuntur autem illi omnes vocibus omninò nouis & peregrinis, quibus nugæ suas obtegant. Centra, inquit, seu cœli cardines sunt quatuor, *horoscopus*, seu ortus; *meridies*, seu mesurænema; *occidus*, & *hypogonum*, seu imum cœli. Horoscopus est punctum ortus stellarum dum aliquis nascitur; quæ genitura, item & genesis dicitur. Meridies est caput & princeps omnium cardinum. Inter singulos autem cardines duo signa sunt: dextra *epanaphoras* appellant, læua *apostimata*. Thema dicitur situs astrorum: *schema* est figura constellationis: *zodia* signa sunt Zodiaci: *diastemata* sunt interualla, quibus astra inter se opponuntur: *more* sunt partes Zodiaci, quæ in particulas diuiduntur, vnumquodque videlicet signum ter denas habet moras: *directio* est delapsus horoscopi ad locum planetæ. Mitto astrorum *abfides*, *antiscia*, *noenarias facies*, *currus*, *carpena*, *familiaritates*, *odia*, *exaltationes*, *deiectiones*, *alfridaria*, *fines*, *decanatus*, *ducatu*, *defluxus*.

Themata.

Vt autem illi artem suam consarcinent, secundum quam rerum omnium rationes è stellis ducant, primum omnium duo themata hominis præcipua instituunt; alterum *genitura*, alterum *fortuna*. In themate genituræ ponunt ea quæ ad animum & corpus pertinent, & illius dominus est horoscopus. In themate fortunæ actiones extrinsecas. Inde cœlum vniuersum in duas diuidunt partes: ab ariete ad libram aiunt solem exaltari; à libra ad arietem deiici: lunam exaltari à tauro ad scorpium; deiici à scorpio ad taurum. Stellæ alias *felices* esse aiunt, & salutare; alias *infelices*, & maleficas. Iouis stellam felicem esse statuunt. Saturni & Martis pestiferas, & sic de reliquis.

Domicilia cœlestia.

Secundò planetis omnibus præter solem & lunam duo assignant domicilia, *naturale* vnum, al-

terum *accidentale*. Lunæ domicilium naturale, cancer est; leo solis; Mercurij virgo; libra Veneris; scorpius Martis; sagittarius Iouis; Saturni capricornus. Accidentalis locus Saturni aquarius; pisces Iouis; aries Martis; taurus Veneris; Mercurij Gemini.

Tertiò Zodiacum in duodecim diuidunt domicilia, seu loca. Primus locus est pars illa, in qua horoscopus est constitutus: in hoc spiritus continetur & vita hominum. Secundus incipit in trigesima parte horoscopi; ex illo spei & possessionis incrementa noscuntur. Tertius dicitur Rex, incipit in sexagesima parte ab horoscopo; ex illo de fratribus & amicitii præagimus. Quartus est imum cœlum; ex hoc de parentibus & opibus. Cætera non persequor. Vide Alexandrum de Angelis lib. 4. cap. 19.

Quartò in huiusmodi domiciliis Zodiaci duodecim formant stellarum schemata & imagines, quæ iisdem appellant nominibus cum signis Zodiaci, à quibus tamen omnino differunt. In signis autem singulis constituunt imagines triginta, quas *manometrias* appellant, & tres *decanos*: primum decanum arietis aiunt esse virum dextra falcem, sinistra balistam tenentem: in secundo gradu virum canino capite, dexterâ protensa, læua baculum tenentem, &c. Rursus Zodiacum diuidunt sine relatione ad planetas, in partes *lucidas* & *tenebrosas*, *fortunantes* & *malignantes*, *masculinas* & *fœmininas*, *valetudinis* & *morbis*, &c.

Quintò statuunt quod planetis quando existunt in illis domiciliis varie insunt vires. Saturnus v. g. (inquit) in ea parte constitutus, in qua est horoscopus, facit cum clamore edi partum; erit autem ille qui nascitur omnibus fratribus suis maior; aut si quis ante eum natus sit, à parentibus separabitur. Saturnus idem constitutus in secundo loco ab horoscopo facit graues ægri- tudines, euerfiones maximas, interemptor est vxoris, & filiorum, & frequentium concitator turbarum; sed & paternam & maternam substantiam dissipat. In tertio loco Saturnus constitutus ab horoscopo facit pigros & tardos, nullam substantiam patrimonij requirentes; si verò cum Mercurio & luna fuerit in hoc loco, facit cum stultitia malitiosos, &c.

Sextò. Circa dignitates singulorum sic fabulantur. Quando aliquis nascitur, si sol & luna fuerint in signis masculinis, vel saltem si eorum alterum fuerit stipatum planetis quinque, sol quidem matutinis, luna verò vespertinis, quisquis tunc nascitur, Rex erit: si verò tunc planetæ fuerint in angulis, vel certè ad superiorem cœli cardinem configurati, qui nascetur, vel orbis imperium, vel magnam omninò potestatem consequetur. Præterea (inquit) si cœlestia hæc signa quæ dignitates portendunt, in proprio reperiantur domicilio, aut exaltatione, qui nascitur, maximus futurus est. Stellæ porò appellant *regias*, Regulum, seu cor Leonis, in vigesimo tertio ferè gradu geminorum; Herculeum in trigésimo ferè gradu cancri; spicam Virginis in decimo octauo gradu libra.

Septimò circa mortis genus sic vaticinantur. Mortis violenta, qui nascitur, abripitur. Sunt autem signa violenta, Aries, Libra, Scorpius, Capricornus, Aquarius. Dicuntur violenta, quòd in illis malefici planetæ domicilium, vel exaltationem habeant. Stellæ violentæ sunt oculus Tauri, Hercules, cor Scorpij.

Octauò

Negotia.

Oportet, quod spectat ad inchoandum feliciter aliquid, sic aiunt. Lunâ existerent in signis mobilibus, quidquid fueris aggressus, caducum & fluxum erit; quod autem fueris aggressus in signis immobilibus, ratum & fixum erit. Alia innumera possem recensere de istis fabulis, quarum sola ferè narratio solida refutatio est.

§. II.

*Quenam prænuñciare possint Astrologi.*

Conclusio  
tripartita.

**D**icendum itaque primò est, posse Astrologum non recedentem à suis immediatis & vniuersalibus principiis certè ac infallibiliter aliqua prædicere, alia probabiliter tantum, alia denique valde dubiè, ac cum magna formidine oppositi.

Quid certò  
prædicatur.

Prima pars de iis, quæ certò ab Astrologis prædicti possunt, certa & comperta est; ea nimirum omnia quæ pertinent ad reuolutiones anhorum, cursus siderum, eclipses, stationes, retrogradationes, aspectus, coniunctiones, oppositiones, & similia. Quia videlicet cum cœlorum motus valde sit regularis, possunt ex diuturna obseruatione Astrologi supputare astrorum periodos, & numerare motus, atque ita præscire ipsorum coniunctiones. Hinc ortæ sunt ephemerides, quæ vulgò circumscribuntur Organi, Magini, Thyconis, Argoli, &c.

Quid præ-  
dicant pro-  
babiliter.

Sed fateor tamen, errare illos sepius, quia supputando facillimum est errare, imò instrumenta ipsa sepe decipiunt; vnde sit ut maxima etiam in istis ephemeridibus reperiatur diuersitas, ut videas quàm alia incerta sint, quæ in illis tantum fundantur calculationibus.

Secunda pars de iis quæ probabiliter tantum prædicere Astrologi possunt, non autem certò, huiusmodi videlicet sunt venti, pluiæ, serenitas, siccitas, tempestates. Quia possunt Astrologi varias astrorum proprietates diuturnâ experientia obseruasse; cumque prædicere certò possint eorum ortus aut coniunctiones, probabiliter etiam possunt prædicere illos effectus, qui produci ab illis possunt; causant enim astra sepe pluias, ventos, & alia meteoia, ut nuper dixi.

Verum quominus illa prædicti planè certò possint, obstant quamplurima. Primò enim illa pendunt non tantum à cœlo, sed etiam à sublunariis causis, quas Astrologi satis perspectas habere nequaquam possunt. Deinde difficillimum est, omnium siderum, à quibus isti effectus impedi possunt, vim, & proprietates tenere, quod satis probant quotidiana in eo genere Astrologorum mendacia. Asserebatur ab illis v. g. anno 1524. mense Februario fore diluuium Noëtico propè per, eò quod sex planetæ in piscibus essent exi-  
**E**turi, cum nulla eo die apparuerit in cœlo nebula. Sanè Mirandulanus lib. 2. contra Astrologos, asserit se è 130. diebus, sex aut septem duntaxat notasse, quales prædixerant Astrologi, etiam peritissimi.

Quid dubi-  
tatur.

Tertia pars plura continet, quæ dubitanter tantum, & cum maxima formidine oppositi prædicere possunt Planetarij; huiusmodi enim sunt primò aëris salubritas, annonæ pretium, morbi animantium, aliquæ pestilentie. Quia videlicet notari potuit crebrâ experientia terræ sterilitatem

**A** esse subsequutam ex alicuius astri aspectu aut oppositione; ex alio pestilentiam. Si ergo talis præuideatur aspectus aut oppositio, suspicari etiam saltem timide licet huiusmodi euentum sequuturum. Timide, inquam, non autem certò, neque probabiliter, quia illorum effectus astrorum impedire plurimæ possunt causæ, tum inferiores, tum etiam superiores: nam in inferioribus fieri potest ut non sit eadem dispositio, quæ prius erat; fieri etiam, ut stella quæpiam orta sit, quæ vim totam stellæ prioris infringat.

Secundò talia etiam sunt, imò multò incertiora, quæ prædicat Astrologus ex horoscopo, id est ex intuitu puncti quo quisque natus, vel conceptus est; cum magna videlicet formidine dici ab eo potest, & cum maximo periculo erroris, quale temperamentum habiturus sit puer, quas inclinationes, quas vires; quia nimirum certum est, quod astra in corpus humanum influant, ac proinde potest ab illis temperies corporis pendere. Posset ergo diuturnâ experientia notatum esse, quod ex tali horoscopo tale temperamentum, & tales inclinationes sequuntur sepe sunt: ergo conici etiam potest, quod puer sic erit compositus, sic affectus.

Tempera-  
mentum &  
inclinati-  
ones.

Sed cum errandi maximo periculo, ac proinde omnis huiusmodi coniectatio erronea est, & fallacissima. Primò quia qualitates rei generandæ multò magis pendunt ex dispositione materiæ, virtute, ac vigore proximi agentis, quàm ex influxibus cœli: ergo temperamentum rei generandæ non potest ex illis cognosci. Antecedens probat Mirandulanus tota lib. 2. quia causæ proximæ determinant actiuitatem agentium vniuersalium. Secundò tempus conceptionis longè plus confert ad temperamentum, quàm tempus natiuitatis; tempus autem concepti fœtus perspectum non habent Astrologi, ut magis vergebo statim.

Ex quibus concludere omninò licet, facultatem diuinatricem ex astris, quæ prædicuntur eclipses, & reliqua spectantia ad cœlum, esse veram artem, & scientiam; aliam verò quæ cætera prænuñciatur, neque scientiam, neque artem esse; sed opinionem vanam, dubiam & fallacem, quia nihil eorum præsciri ex ea infallibiliter potest, neque vllas habet certas regulas, sed meras fabulas & præstigias, uti magis etiam docebunt sequentia.

§. III.

*Quid prædicere Astrologi nullo modo possint.*

**D**icendum secundò est, Astrologos præscire nullo modo posse futura contingentia, quæ ab humana libertate pendunt; sed neque, nisi fallaciter, præuidere ex horoscopo, seu ex intuitu sideris orientis in puncto natiuitatis, quid puer totâ vitâ facturus sit, aut quid ei sit euenturum.

Prima pars de futuris contingentibus vniuersim probari primò potest autoritate, deinde rationibus solidissimis. Primò enim Scriptura totam illam damnat artem ut præstigiaticam. Ieremiæ 10. *Iuxta vias gentium nolite discedere, & à signis cœli, quæ timent gentes, quia leges populorum vanae sunt.* Isaïæ 42. *Ego sum Deus, & non est similis mei, annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt.* Scripturæ accedunt Pontificum  
**A**uthoritas, cum

Futura con-  
tingentia  
vniuersim.

Authoritas,  
cum

cum & Conciliorum decreta, quibus ars illa damnatur, sicut eam omnes Patres damnant, omnes Theologi, omnes iuris periti, tum ciuilibus, cum canoni; Philosophi plurimi, & Medici celeberrimi, quos dabunt Desrio *lib. 4. cap. 3. quest. 1. conclusionem 3.* Posseuinus *lib. 15. Bibliotheca, cap. 11. & sequentibus*, Alexander de Angelis *1010 lib. 5. contra Astrologos*. Docent enim illam fuisse omnibus sæculis, omnium Sapientum, imò populorum omnium vocem, qui è ciuitatibus Mathematicos edictis publicis eiecerunt; hanc totius Ecclesiæ mentem, quæ ab ea insania multoties fideles auertit adiectis censuris & anathematismis. Scripsit opus eximium contra illam artem Ioannes Picus Mirandulanus libris duodecim, ubi præter cætera ostendit fautores omnes, & inuentores illius artis fuisse homines obsecuti nominis, imperitios, egentes, infamiâ laborantes.

Ratio.

Secundò demonstrationibus inuictissimis probari potest. Vna hæc satis sit. Illud cognosci ex astris nullo modo potest, quod nullam cum astris necessariam habet connexionem: futura contingentia singularia non habent connexionem cum astris necessariam; si enim actus liber voluntatis connexionem haberet necessariam cum sideribus, illa esset vel tanquam causæ ad effectum; & sic tota excinderetur libertas; vel tanquam signi ad rem significatam; astra enim non sunt signa naturalia, quia sic essent causæ vel effectus, quod utrumque implicat. Vnde

Ratio à priori est, quia posito quocumque astrorum influxu, potest voluntas agere, vel non agere: ergo ex astrorum aspectu non possunt præsciri actus futuri voluntatis. Probatur antecedens, quia tunc voluntas non est libera, quando non potest agere vel non agere propter aliquid quod est independens à voluntate: influxus cælorum est independens à voluntate: ergo voluntas non est libera, si eo posito non potest non agere.

Sors pueri ex horoscopo.

Secunda pars sigillatim reiecit fabulas Genethliacorum, nequaquam posse illos ex intuitu sideris, quod oritur in puncto natiuitatis, prædicere quos mores habiturus sit puer, ad quam euehendus sit dignitatem, quod genus mortis habiturus, quas nuptias contracturus, quæ subituras pericula, quas opes assequutus, siue futurus diues, an pauper; miles, an literatus; longæ, an brevis vitæ; vxoratus, an cœlebs; liberos habiturus, an non. Hæc (inquam) ars talia fabulosè narrans est illicita, superstitiosa, & vanissima, ut satis probant rationes allatæ nuper; quia nimirum hæc omnia pendent ab humana libertate, cum qua nullam connexionem habent sidera; sed adhuc tamen

Prima probatio.

Ratio prima sit, quia si ex aspectu sideris in natiuitate orientis futuram hominis sortem conicerent Genethliaci, vel id conicerent ex aspectu sideris, quo fœtus conceptus est, vel aspectu illius, quo natus est: utrumque instans ignorant Astrologi: ergo ex aspectu illius atri nihil scire possunt de sorte futura pueri. Minor facilis est; nam instans conceptus ignotum omnibus esse, etiam ipsis matribus, docet Hippocrates, & ab eo instanti duci genituras asserit Ptolemæus, artis huius (ut dicitur) peritissimus. Instans etiam parit notum esse non potest, cum ille non fiat in instanti, sed in tempore diuisibili, in quo astra quæ velocissimè rapiuntur, innumeras habent coniunctiones & oppositiones diuersas. Ergo ignotum est illud instans utrumque.

Potestque confirmari, quia non omnes qui eo-

dem nascuntur tempore, habent eosdem exitus; utrum enim omnes qui nascente Regis filio nati sunt, Reges etiam erunt, & eodem mortis genere morientur? Imò etiam ipsi gemini, qui simul concipiuntur, & simul etiam nascuntur (nisi velis eundem hominem eodem tempore non totum nasci) dissimillimos mores habent, & exitus diuersissimos, ut patet in Iacob & Esau, & aliis pluribus, quos refert Augustinus *lib. 5. ciuit. c. 5. & 49.* Deinde plurimi simillimos habent exitus, quorum dissimillimus fuit ortus. In *Cannensi pugna* (inquit Tullius) *cadunt 70. Romanorum milia; nunquid illi omnes eodem sidere nati sunt?* Ingrediantur simul nauium plures quibus genitura felicem spondeat interitum; plures item quibus naufragium portendat: quæto quid illi naui euenturum sit?

Secunda ratio est, quia ex qualibet genitura deduci posse contrarios euentus, ex ipsis Astrologorum regulis certum est, adeò ut nullus sit horoscopus cui iuxta regulas huius artis promitti non possit magna quadam felicitas, & immensa etiam mala intentari. Probat hoc primum experientia, quam afferunt Authores citati; & Sixtus Hemminga Frisius demonstrat in triginta genituris, quas sigillatim explicat in bonam & malam partem; alique artis huius periti variis exemplis & rationibus declarant. A priori ratio est, quia in tot partes cælum ita diuisum est ab Astrologis, ut contrarias inter se vires habeant: quod ergo una pars bonum ominatur, altera portendit malum.

Vnde nulla est genitura, quæ non sit felix ratione vnius partis, infelix ratione aliarum. Deinde impossibile est eundem Astrologum simul omnia attendere, quæ tota superficie cæli descripta sunt eodem tempore. Qui ergo vnam cæli partem attendit, contraria ei loquatur qui attendit aliam. Aiunt videlicet Astrologi, astrorum vires debilitari aut confirmari, acui aut retundi, extolli vel excitari quando exaltantur vel deiciuntur, quando nocturna sunt vel diurna, quando sunt in aliena, vel propria domo, quando matutina vel vespertina, quando in signis masculinis aut femininis, pigris aut deiectis; quando iuuuantur aliorum benigno aspectu, aut maligna radiatione perstringuntur; quando gaudent, aut tristantur; quando geniturae dominantur, aut aliis deferuntur.

Tertia probatio est, quia multi, quibus astra genitalia honores magnos, & dignitates pollebantur, vitam duxerunt inglorij; cum tamen alij quos eadem astra damnabant ad sordes, ascenderint tamen ad culmina dignitatum: v. g. in themate natalitio Alexandri VI. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Pauli II. Iulij II. Marcelli II. Pauli IV. nihil dicitur fuisse magnificum aut præclarum; & tamen illi Cathedram tenuere Petri. Multi quibus thema natalitium multos vitæ annos, & longam senectutem spondebant, immaturè abrepti sunt, v. g. Franciscus II. horoscopus habuisse fertur supra principes omnes felicissimum; qui tamen ætatis anno 16. extinctus est.

Alia præterea sunt, eaque grauissimæ rationes, quibus tota hæc dementia conuincitur, præsertim quia omnes astrorum effectus impediri possunt à causis sublunariis; quod enim ex humorum temperie fuerit fortasse viciatum, emendatur parentum curâ, victu & genere ciborum, labore vel otio, regionis aëre quam incolimus, consuetudine illorum cum quibus viuimus, exemplis domesticis, &c.

Obijciatur

Prima obiectio.

Obiicitur primò ab Astrologis fundamentum certissimum huius artis, quo vno tuta, scipsam ab adulterariis tueretur, & illos derideret: nam quodcumque tandem argumentum illi opposueris, esto, inquit, responderi nequeat rationibus, ac certe fallaces illas esse probant experimenta innumera, in quibus specimen artis suæ dedere Astrologi peritissimi.

Verè prædictiones.

Notum est v. g. qua die natus est Augustus, dixisse Astrologos natum esse Imperatorem: sub eadem verò constitutione siderum, qua natus erat Augustus, nempe sub capricorno, natus esse dicitur Cosmus Medices, Dux primus Florentinorum. Thrasyllus nobilis Mathematicus Tiberio Rhodi exulanti prædixit Imperium. Tiberius Galbæ adhuc priuato dixit, *Et in aliquando degustabis Imperium.* Neroni nascenti prædixit Mathematicus cum regnaturum, sed matricidam fore. Vespasianus sibi, & filiis Imperium prædixit. Innumera huiusmodi possent congeri: v. g. Athenaidi puellæ obscuro loco nata prænuntiaturum est Imperium, sicut & Rodolpho Habspurgio, Austriacæ familiæ primo Cæsari: Pontificatus Leoni X. Adriano VI. Marcello II. Urbano VIII.

Caroli V. genitura.

In Caroli V. genitura coniuncti Iupiter, Sol, Venus & Mercurius in piscibus, signo magnæ coniunctionis, illustrem habuere potentia significationem. Ingenij & eloquentiæ suauissima dona Venus & Mercurius cum spica Virginis in aëreo signo constituti portendebant, Ioue & Geminis in eodem signorum trigono eos feliciter illustrante. Dignitates Ecclesiasticas à Ioue significatas Mars ex trigono Iouem impugnans inturbauit: Saturnus in oriente calculi dolorem, quo cruciatus est, concitauit: Mars podagram in sexta domo.

Ioannis Picæ genitura.

Neque illustrius afferri potest exemplum quàm Ioannis Picæ Mirandulani mors immatura: is enim cum deodecim libris Mathematicos exagitaſſet, ad experimentum illi prouocauit, inspectoque genethliaco illius fidere, pronunciarunt illum anno ætatis 33. migraturum è viuis: vaticinium comprobauit euentus, eoq; vno argumento iactarunt satis responsum esse libris eius duodecim.

Alexandro Medices cades prædicta est ex horoscopo, quam à Laurentio Medices passus est in Ecclesia. Henrico item III. & Henrico IV. qua die occisi sunt, data monita sunt de periculo instanti.

Galeacii.

Cum Mediolani magni nominis Astrologus Galeacio Duci denunciasſet, illum interitum ex vulnere à suo vassallo infligendo, Dux iratus quæsiuit ex Astrologo, quo ipse genere mortis esset moriturus. Respondit ille se in publico excessurum ex casu trabis. Dux vt mendaci vaniloquum argueret, iussit eum capite plecti sine mora: paratur locus, pulsatur campana, educitur reus è carcere, rapitur ad necem: ecce tibi dum ante ipsius Ducis ædes ingreditur, trabs ingens cadit è sublimi, & è viuis tollit Astrologum cum carnifice. Tunc verò timere sibi Dux, & Astrologiam mirari, artem diuinissimam; populus verò illi ominati pessimè, donec die sancti Stephani à suo vassallo confossus est in Ecclesia huius Sancti. Hec & alia plura si vera sunt, vt sunt sanè verissima, factis astruunt astrologicæ artis authoritatem & veritatem.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A racitatem, & os omnibus in eam latrantibus planè obstruunt.

Resp. nihilo tutiorem esse posse omnibus his experimentis Astrologiam. Primò enim aio Astrologos loqui sapius falsà, quàm verà; sicque totam hanc diuinationem non esse veram nisi ex accidenti, sicuti ait de somniis Aristoteles. Quid enim mirum est si ter verum dicant cum milies mentiantur? Sed tacentur eorum mendacia, veri euentus commemorantur. Ioannes XXI. Pontifex, cum ex astris longam sibi vitam polliceretur in Pontificatu, idque coram familiaribus palam iactaret, quarto post mense oppressus est corrumpente testudine recentis ædificij Viterbij. Franciscum Sfortiam Astrologus præclare risit, quem habebat apud se liberaliter. Illi pro tanta mercede Astrologus tempora præscribebat cuique inchoando negotio peridonea. Parebat Dux impostori adeò religiosè, vt maximis tempestatibus aliò migrare cum toto comitatu cogeretur, per medios imbres, & cœnum, non secus ac si hostium fugeret insequentes cuneos, tam felici euentu, vt spoliatus tandem Ducatu toto, à Rege Galliarum ferrea inclusus cauea, mortuus in ea fuerit in exemplum astrologicæ vanitatis.

Deinde certissimum esse aio plerasque diuinationes illas (si quando veræ sunt) doctore dæmone fieri, vt sæpe docet Augustinus; nouit enim ad quid impellere ipse velit & soleat hominem, sicque prædicit, quæ facere ipse per se decreuit, vel per alios homines; nouit etiam constitutionem internam hominis, ex qua facile illi est conicere de breuitate illius vitæ: multa quoque coniecturaliter prænuntiat, quæ aliquando tamen fallacia sunt, decipiente naturalem eius sagacitatem vel libertate hominis, vel Dei voluntate.

Obiicitur secundò alterum firmamentum vanissimæ scientiæ, quia scilicet certum est quod ad corporis temperamentum astra multum conferunt: atqui animi mores plurimum pendunt ab ea corporis temperie: ergo animi ex astris dignosci possunt.

Resp. primò quidem concedi posse utramque propositionem, ex qua sequitur duntaxat, quod Astrologi possunt interdum cognoscere animi affectus; sed singulares affectuum illorum actus, v. g. *Toties pugnabit, Tot ducet uxores, Tot annos eris in carcere*; hoc verò nequaquam Mathematicis astra insusurrant. Deinde falsum est, quod à solis astris pendeat temperamentum, quod est etiam à semine, à parentum temperie, à pluribus aliis causis. Sed neque mores sequuntur semper corporis temperamentum, quia eos sæpe format educatio, exempla emolliunt, immutat gratia. *Caua nemora* (inquit Ennodius) *baccis plurimis cultura locupletat. India multo sudore, quo se iactat, hebenum nutrit. Sabæi virga cespitis, manu cessante, non profuit. Industria fecit quod Pastanas rosas diuina pepererunt, quas de spinis cœu terra sidera labor exigit.*

C DISPV